



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Diff. 2. Solvuntur Objectiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

propria ex Arist. 4. Phys. c. 2. t. 14. Et ita possi-
bilia non dicuntur coexistere aternitati: Quia
in nulla mensura propria durationis existunt.
Sed de presenti in nulla mensura & duratione
propria existit Antichristus; ergo neque aterni-
tati coexistit.

In idem recidit, si di-
cas: Ita modò nihil est de Antichristo, sicut ni-
hil est de remere possibili; ut totum discrimen
sit de futuro, non de presenti; ergo quemad-
modum de presenti res possibilis non coexistit
aternitati, nec futura coexistit. *Ad eas, quæ*

hæc rationi opponit Quirós, solvenda
NOTO. Sicut existentia Dei nullum tribuit
esse coexistentiæ possibilibus; quia in se non
habent existentiam; sic nec tribuet Antichristo;
quia etiam Nunc existentiam non habet nunc;
et sicut non est imaginabile, quòd Roma dica-
tur indistans Deo, solius Dei indistantia; ita
nec Antichristus reddetur coexistens, sola ex-
istente aternitate. Et sicut indistantia divinâ
Vallisoleti habitâ, non denominatur Roma in-
distans Vallisoletum, sed tantum indistans à Deo,
qui etiam Vallisoletum non distat; ita neque
Nunc-existentia Dei adferet Nunc-existentiam
creaturæ, quæ in se dicit negationem existen-
tiæ. Immeritò etiam Quirós negat, quòd res
existant in aternitate; sed quòd aternitas in
illis existat, cum potius contentum in continen-
te existat, non è contra, aperteque S. Paulus do-
cet, quòd in Deo moveamur & sumus.

ARGUMENTUM est. Antichristus non
habet esse pro omni tempore, sed pro aliquo de-
terminato: Neque enim est ita præsens aterni-
tati, sicut Spiritus S. Ergo solum in tempore
determinato poterit affirmari præsencia, non
ante illud tempus, alioqui illimitatæ durationis
foret Antichristus: Sicut illimitatæ ubicationis
foret res, de qua ubique affirmari posset præ-
sentia immensitati. *Ad defendendam hanc ra-*

tionem
NOTO. Quòd sicut Antichristus, quia non
habet se fundamentum, ut semper affirmetur
præsens à Dei existentia semper præsente; ideo
negatur de illo semper præsencia; ita Nunc,
cum non det fundamentum Nunc-existentiæ,
non poterit denominari nunc-coexistens; &
sicut semper & ubique præsentialitatem non
accipit semper & ubique præsentialitate divi-
na; ita nec accipiet nunc-existentiam, à nunc
existentiâ divinâ.

Immeritò etiam af-
firmat, quòd Deus non possit affirmare Anti-
christus existit nunc; si enim est coexistens
nunc, quomodo non erit existens nunc? Et si
affirmat irrestrictam existentiam Antichristi,
creaturæ poterit & creatura, quod negat
Quirós.

PROBAT 3. Ruiz. Tum quia si cunctæ res
creaturæ ab aeterno coexistunt aternitati, etiam
coexistunt inter se, ex illo principio; Quæ sunt
eadem unitertio; Multa autem non possunt

coexistere inter se, ut inter cætera prius & po-
sterius mortis. Tum quia Deus nulli loco est
præsens, antequam locus existat; ergo nec ulli
rei coexistens, antequam in se existat. Tum
quia licet nihil possit coexistere aternitati nisi
coexistat toti; inde tamen non potest colligi,
quòd coexistat aternitati; quia aternitas non
habet principium & finem, quomodo enim ex
eo, quòd aternitas non habeat principium & fi-
nem derivatur coexistentia, in non existens; er-
go neque exinde inferri potest, quòd Antichri-
stus nunc coexistat aternitati.

Punctum Difficul-

tatis 2.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIT 1. Alvarez de Auxiliis d. 8. cum
aliis Thomistis varias Auctoritates.

1. AUCTORITAS est S. Thomæ ex 1. con-
tra gentes c. 66. v. 6. & ex 1. p. q. 14. a. 13. in cor-
pore, & in 1. d. 38. q. 1. a. 5.

RESPONDETUR. Primo loco non plus vel-
le S. Thom. quàm quòd futura cognosci possint
in seipsis, ad quod sufficit præsentialitas pro cer-
ta differentia; quod solum vult etiam secundo
loco & tertio.

2. AUCTORITAS est S. Script. SS. PP. Sed
multæ ex illis solum asserunt, Res Deo objecti-
vè esse præsentes. D. Aug. etiam Soliloq. c. 26.
non plus vult, quàm quòd cognoscat omnia,
quæ ordinavit. Libro autem 5. de Trin. c. 16. &
ibidem lib. 15. cap. 7. quando dicit futura jam
facta esse ante Deum, id intelligendum ratione
præsentialitatis, quam habent pro certa diffe-
rentiâ temporis ante Deum, non verò ratione
coexistentiæ; cum enim illâ præsentialitas sit
præsentialitas facti, estque ante Deum, videt
Deus factum; vel certè: Omnia sunt ante
Deum facta ab aeterno, quia sicut factum non
potest non esse factum; Ita quòd Deus novit
futurum, non potest non esse futurum, deter-
minatione sibi proportionata.

3. AUCTORITAS est eorum PP. qui negant
Deum habere præscentiam futurorum, sed so-
lam scientiam, qualis fuit D. Gregor. lib. 20.
Mor. cap. 25.

RESPONDETUR. Haberi etiam locutiones
SS. PP. immo & ipsius S. Pauli ad Rom. 8. ap-
pellantis notitiam divinam præscentiam;
Qui autem SS. PP. non utuntur hoc nomine,
non id faciunt ut asserant coexistentiam Tho-
misticam, sed quia Deus nescit illa in formalitate
præsentialitatis illorum, quam habent ab
aeterno pro certa differentia, præsentialitas au-
tem scitur potius, quàm præscentur. Rursus
quia præscentur supponit interdum pro Rem im-
perfectè noscere, hinc solent multa re posita
innotescere, quæ antea non præscentantur;
Deus verò nescit res, non nisi perfectissimè.

I 4

Quan-

R. p.
H. MŁOD
ianowski
Tbm. d. e. Z.
D. VI

Quando autem dicunt Thomistæ; Ideo per S. Thomam Deum certò cognoscere futura; quia cognitio illius mensuratur æternitate, id non convincit: Quia æternitas est indifferens ad hoc potius vel illud noscendum; Deus autem determinatè noscit. Unde & ipsi Thomistæ requirunt prædeterminationem, ut determinatè noscat. Vide Falsolum hîc q. 14. à num. 62.

OBJICIT 2. Idem ex Ferrariensi. Adam & Antichristus vel coexistunt Deo in nunc æternitatis secundum proprias existentias reales, vel non coexistunt? Si detur primum, habetur intentum; si secundum, sequitur dari in æternitate futurum, ratione existentia Antichristi, & præteritum ratione existentia Adæ; hoc autem dici non potest; nihil enim dicitur præteritum vel futurum in ordine ad aliquam durationem, nisi illa duratio, habeat in se partes præteritas & futuras; ut patet in nostro tempore: Si enim in illo solum esset unum instans indivisibile, nihil esset præteritum aut futurum in ordine ad illud; jam autem æternitas, est tota simul & indivisibilis.

RESPONDETUR. Hoc argumentum probare multum; Probaret enim quòd Petrus localliter sit ubique; quia coexistit toti immensitati divinæ, quæ est indivisibilis, & quæ est ubique. Directè autem communiter respondetur, quòd Antichristus toti coexistat æternitati, quæ est indivisibilis entitativè, sed quoad terminos extrinsecos, & per æquivalentiam ad partes, habet suam divisibilitatem; quæ æquivalentia partium, explicabilis est in æternitate, per hoc; quia v.g. connotat tempus futurum, cui omni possibili, commensurat sese &c. Unde ex materia de Connotatis est in æternitate præsens, futurum, & præteritum non in ratione Entis, sed ratione connotatorum.

Unde etiam ad illam illationem, quòd coexistit æternitati semper illi coexistit: Nam æternitas est tota simul. Communiter respondetur, Æternitatem esse simul quoad suam Entitatem & simultate tenente se ex parte æternitatis, sed non esse totam simultate tenente se ratione terminorum, seu connotatorum, ad eum planè modum, quo anima tota est in digito, totalitate tenente se ex parte animæ; sed non est tota, totalitate, tenente se ex parte aliarum partium & membrorum: Nam in quantum est in capite, non est in tantum in pede; sicut & æternitas in quantum coexistit hodierno nunc, non coexistit crastino. Undè ulterius concedi potest argumento Navarette, Æternitatem nihil de novo quantum est ex illa mensurare, licet mensuret de novo, novitate tenente se ex parte termini. Inde tamen sequitur, quòd etiam de novo coexistat non ex parte sui, sed novitate orta à noviter producto Ente; quod quia antea dicebat negationem existentia, hoc ipso æternitas, licet existens, non transibat ad denominationem coex-

istentis. Quod autem adfert Navar. res in æternitate esse ad modum ipsius æternitatis, hæc autem est tota simul, consequenter, quòd omnes res respectu æternitatis debeant habere simul suas proprias existentias, id etiam non convincit; nam tempus, est etiam in æternitate; nec tamen est ad modum ipsius æternitatis; habet enim prius & posterius, quo caret æternitas. Falsa itaque est primò assumpta propositio, different nihilominus res in quantum existunt in propria mensura à se, in quantum existunt in æternitate: Quia dum existunt in propria mensura, existunt in mensura, quæ definitivè importat de se rationem prioris & posterioris, quam rationem de se non importat æternitas, quæ tota simul est.

OBJICIUNT 3. Thomistæ apud Perez de Provid. Dei, d. 6. a. 13. c. 7. n. 92. Deus in hoc instanti A est æternus: Existit enim tota Dei æternitas in hoc instanti, & Deo tribuit effectum suum formalem; ergo nunc est sempiternus, at esse sempiternum, est semper existere; ergo nunc convenit Deo semper existere; at semper existere, est existere heri, cras, & hodie, & sic in omni tempore; ergo Deus nunc coexistit omni tempore, ac proinde Deo nunc coexistit omne tempus.

RESPONDET Perez; Deum secundum se in quolibet instanti sempiternum esse, & durare semper absolute & indivisibiliter, non autem durare semper relativè, (nos dixeramus secundum terminos & connotata) hoc enim dicit coexistentiam, ad tempus successivum.

OBJICITUR 4. Rectè dicitur schola hîc distat à templo Parochiali, quamvis hîc non habeatur ubicatio templi & scholæ, & nihilominus utriusque ubicatione stat distantia; ergo etiam rectè dicitur; Futurum est hodie coexistens æternitati; quamvis coexistentia dicat existentiam duorum, & quamvis hodie non sit existentia futuri, sed existentia solius æternitatis divinæ.

RESPONDETUR. Neg. Conf. Disparitas est, quia in casu antecedentis habetur totum, quod requiritur ad denominationem distantis, quia ad illam sufficit haberi hîc distantiam termini unius, & definitivè distantia hîc, non nisi unius termini præsentiam requirit; ita ut si utriusque termini præsentia haberetur hîc, hoc ipso destrueretur definitio distantia, quæ definitur per præsentiam non nisi unius hîc: Jam autem coexistentia non definitur per existentiam unius, aliàs etiam negationes, possibilia, Entia rationis &c. possent dici coexistentia æternitati, siquidem coexistentia definitivè staret unius existentia.

OBJICITUR 5. Hodie est vera hæc propositio; Antichristus hodie est realiter præsens æternitati, eratque vera heri, & nudius tertius, & sic ab æterno; ergo ab æterno erat præsens æter-

eternitati Antichristus: Quod ipsum sic aliter proponi solet. Illa propositio est ab æterno verba, cuius copula ab æterno copulabat subjectum & prædicatum importatum; talis est autem copula in dicta propositione; quia ly est, non est impositum solum ad significandam durationem humanam, sed etiam divinam; jam autem Antichristus, licet non sit existens suâ propria existentia, est existens existentia æternitatis, quam significat dicta copula.

RESPONDETUR ex dictis Antichristum, hodie esse realiter præsentem æternitati, præsentia non hodiernâ, sed habenda in certa differentia temporis, consequenter nec hodie coexistit, sed coexistet postea. Sed ad quid est significandum imposita particula Est? Solet responderi impositam ad significandam durationem humanam, quia ly Est, est oratio significans cum tempore, si significans cum tempore, significans pro certa illius differentia, quæ ipsa differentia debet esse secundum durationem humanam; quia verba sunt imposita ad placitum; placitum autem impositorum significabat durationem quam noscebant, & secundum quam apprehendebant durationes alias; jam autem durationem divinam nos apprehendimus ut nostram; ergo apparet quod nostram significandâ impositum sit verbum, scilicet. Independentem ab hoc principio (multa enim nomina imponuntur non ad similitudinem nostrorum, ut cum imponitur nomen Dei, nomen Entis à se,) independentem inquam ab hoc principio, solvitur illud argumentum per hoc, quod dicta copula ab æterno quidem copulabat existentiam cum Antichristo, sed habendam, non nisi in certa differentia temporis, pro qua etiam dicit coexistentiam; & quamvis hoc verbum esset impositum ad significandam durationem divinam; Nego tamen, quod sit impositum ad significandam durationem, quæ denominare possit, creaturam existentem.

Punctum Difficul-

tatis 3.

Notantur aliqua ad solvendas alias Objectiones.

Ad solvendas Objectiones præcipue ex Quirous.

NOTO 1. Sicut immensitas Dei est admirabilis, nec tamen hæc admirabilitas immensitas sit in hoc, quod est dare præsentiam localem rei, quæ de se non habet præsentiam localem: ita etiam non stabit in hoc admirabilitas æternitatis, quod det suâ existentia existentiam futuris præsentem. Porro hæc admirabilitas, quam agnoverunt PP. in æternitate, dupliciter salvari potest; in primis in formalitate æternitatis, quia æternitas est, adeoque quædam perfectio de se non vitalis; est enim de linea dura-

tionis, quæ etiam inanimatis competit: Sic sumpta æternitas habet admirabilitatem; quia actu de se & necessario dicit sui coexistentiam ad actuales, quæ fuerunt, quæ sunt, quæ erunt existentias, quod nulli alteri creaturæ competit, immo nec competere potest, saltem necessario. Rursus eadem admirabilitas æternitatis salvari potest in vitali æternitate, intentionum scilicet divinarum; quia videlicet cognitio Dei & volitio æternitate mensuratur; ita ut non detur in illo notitia, quæ præterit, ut tempus præterit, sed se habet, sicut quæ non præterit æternitas. Datur item notitia futurorum, quæ non habebitur ut habendum est futurum tempus, sed est semper præsens, ut æternitas.

Hinc per nos non conceditur quid simile angelis, ut conceditur Deo; quia de duratione angeli non potest dici, quod sit necessaria absolute, quod æterna à parte ante &c. Rursus duratio intentionalis, quæ in angelis mensuretur æternitate, nulla à nobis conceditur. Unde etiam dicimus, Deum non prius existere, quantum est ex illo, in uno quam in alio instanti; licet ratione extrinsecorum, prius priori coexistat; ad eum modum, quo immensitas Dei non prius existit in hoc, quam in alio loco; si tamen ultra hunc mundum crearet hodie Deus alium mundum, prius existeret in hoc nostro, quam in alio; ita etiam æternitas Dei simul existit, ut jam dicta simultate tenente se ex parte Dei; quia scilicet tota æternitas Dei indivisa, tunc existit; sed non simul, simultate tenente se ex parte connotatorum, & terminorum; hocque solum voluere PP. qui in oppositum citari possunt; quamvis autem Deus prius coexistat ratione connotati extrinseci heri, quam hodie non sequetur quod ad decreta, quæ heri habuit, hodie habenda, necessitetur; nisi forte accipias decreta, secundum id quod dicunt in recto ad quorum rectum habendum, necessitatus est Deus. Ratio allati est; quia quando creaturæ rationales quarum duratio non est æternitas, conservant sua decreta, non necessitantur ad id, quia faciunt id ex suppositione suæ determinationis, quam ponere vel non ponere erat in illarum potestate; sic etiam de Deo dicendum est.

ADDO. Si Deus revelaret Antichristum in instanti B. exiturum, non est ratio, cur fidelis dicere non possit, sicut dicebant in præsentem Prophetæ futurum prævidendo, Antichristus existit in B. cuius propositionis non erit iste sensus; Antichristus & B. actu dantur in hoc nunc A. sed tantum erit sensus; quod in hoc nunc A. verum sit dicere Antichristum instanti B. pro illo instanti coexistere, de quo infra.

NOTO 2. Quamvis negetur futura coexistere æternitati, non sequitur exinde necessitatem essendi, immutabilitatem, æternitatem, idem esse formaliter; quamvis in re coincident; Deitas enim in quantum excludit contingentiam

R. P.

H. MŁOD

Janowski

Tom. I. c. 2.

D. VI